



Ergo habeas salvos lapsâ trieteride natos,
Noster ut, è salvo pignore, constet amor.
Junximus alternos, Te sic cupiente, fauores,
Dum parili mecum JUSTUS ab igne calet.
Sic decuit tanti properare ad vota PARENTIS,
Ac velut ALBERTI sustinuisse vices.
Nostra equidem pietas certos revocata sub annos
Solvere pro votis ulteriora nequit.
Nempe hæc sedulitas operam sibi pacta minorem,
Quod schola vel studii porrigit umbra, dedit:
Donec ab excelsis Academia dicta magistris
Omina votorum splendidiora ferat.
Interea placeat siue intemerata voluntas,
Seu manus eventu non pudefacta suo.
Sistitur ut soboles oculis fruitura paternis;
Candida sic nostram sistat imago fidem.
Fallor? an ignotos mutato in corpore vultus,
Membraq; Zittano cernis adulta solo?
Scilicet externâ quæ vivit in indole virtus,
Non minus ingenii signa vigentis habet.
Ergo fac ut Tecum, quod jusseris ipse, loquantur,
Ut pateat clausi cordis in ore vigor.
Sic referent dictam nostro sermone salutem,
Votaq; post faustam non reticenda viam.
Sæpe Tuum repetet fida hæc narratio Nomen,
Quippe quod elogii portio magna fuit.
Forfitan & reliquis pulchrè satiatus amicis,
Weisius ut soleat vivere, scire velis.

Tunc